

III, 32.

III, 32.

AUGUSTI III

REGIS POLONIAE
MAGD. DUCIS LITHUANIE
ARCHI-CAPITULI GENERALIS
CONVENTUS ET CONVENTUS
SACRAE CORTES
CIVITATIS VILNIENSIS
VILNAE

MAYORITATIS
ARCHI-CAPITULI

GENERALIS
SACRAE CORTES
VILNAE

VICEREA
GENERALIS
SACRAE CORTES
VILNAE

GENERALIS
SACRAE CORTES
VILNAE

GENERALIS
SACRAE CORTES
VILNAE

GENERALIS
SACRAE CORTES
VILNAE

H. Pol
Doubt. 196

1. 638

AUGUSTI III.

REGIS POLONIARUM
MAGNI DUCIS LITVANIAE
DUCIS SAXONIAE HEREDITARII
IN S. R. IMPERIO GERMANICO
PRINCIPIS ELECTORIS
ET ARCHIMARSCHALLI

MEMORIAM SENATUS GEDANENSIS

JUSSU

ORATIONE CELEBRAVIT GOTTLIEB WERNSDORFIUS

ELOQV. ET POES. P. P.

GEDANI, TYPIS THOMAE JOHANNIS SCHREIBERI,
SENATUS ET ATHENAEI TYPOGRAPHI.



AUGUSTI III.

INDULGENTISSIMI AC PACIFICI,
REGIS POLONIARUM,
MAGNI DUCIS LITHUANIAE, DUCIS RUSSIAE,
PRUSSIAE, CAETERARUMQUE REGNO
JUNCTARUM TERRARUM,
DUCIS SAXONIAE HEREDITARIU, IN S. R. IMPERIO
GERMANICO PRINCIPIS ELECTORIS ET
ARCHIMARSCHALLI ETC.

DIE V. OCT. DRESDAE VIVIS EREPTI,
MEMORIAM

JUSSU MANDATO QUE

MAGNIFICI SENATUS GEDANENSIS

DIE X. NOV. MDCCCLXIII. HORA X.
IN AUDITORIO ATHENAEI MAXIMO
ORATIONE CELEBRANDAM

INDICT
AD EAMQUE AUDIENDAM
INCLUTAE

REIP. GEDANENSIS PROCERES
ET LITERATOS QUOSVIS ITEMQUE
ERUDITOS HOSPITES
PRO SUO QUEMQUE ORDINE AC LOCO HONORIFICE
REVERENTERQUE INVITAT

AC
LITERATAM ATHENAEI JUVENTUTEM

HUMANISSIME CONVOCAT

GOTTLIEB WERNSDORFIUS
ELOQV. AC POES. PP.



BIBLIOTHECA
POLICKAVIANA





I. N. D.

 Vicissitudo fortis humanæ quanta qualisque sit, quam nihil sit in rebus humanae stabile ac firmum, quam parum solida, parum perpetua sint mortalium gaudia, quam præsens, ut poëta canit, *fortuna sit vel imo tollere de gradu mortale corpus vel superbos vertere funeribus*

A 2

bus

bus triumphos, id his potissimum postremis temporibus, nisi antea cognitum credidissemus, luculenter potuissemus perspicere. Fuit nobis hoc ipso anno multa & multigena gaudendi lætandique materia: eandem cum tristissima lamentabilique forte commutare nunc cogimur. Lætabamur merito, cum deus Europæ ficeret otia, cum post diuturna per Germaniam fere totam inter potentissimos reges, magno animorum ardore, magna sanguinis effusione, pertinaciter exercita bella, post longas ac difficiles moras, a variis studiis cupiditatibusque injectas, post iteratas rerum summarum conversiones, post inex- tricabilia prope impedimenta, pax tandem inter præcipuas memorabilis coalesceret, eaque tanto admirabilior tantoque certioribus a quovis populo excipienda plausibus, quanto ea certiorem otii perpetuitatem promittere videtur. Etenim ob summam regum quondam discordium bellantiumque temperantiam

ac

ac moderationem non extorta vicitis est, non ignominiosa, non duris legibus molesta, sed de communi omnium sententia & bona cum omnium gratia & omnibus æque gloria inter gentes conciliata est, nec amissione provinciarum, quas quis iterato bello recuperare cupiat, redemta, sed juris summa æquabilitate nitet constituta & firmata: ut maxima omnino appareat spes, fore, ut eadem gentes terrasque, longo fatigatas exhaustasque bello, diutissima ac prope sempera recreet restituatque quiete ac tranquillitate, præbeatque longam his & posteris gentibus lætandi congratulandique opportunitatem. Quamquam autem propitii nobis dei providentia, nostri regis cura beneficioque, magistratum nostrorum vigilantia ac solertia a bello intacti inviolatique manseramus, tamen hujus pacis famam & ipsi in felicitatis loco ponemamus, cum quod æquum existimabamus aliorum etiam hominum commodis gaudere, tum quod ipsi

A 3

non-



nonnullis molestiis, quas circumquaque flagrantis
belli vicinia etiam immunibus a bello afferre solet,
liberandi eramus.

Paullo post eadem exoptatissima gentibusque
salutaris pax regem nostrum ad revisendam patriam
repetendasque majorum suorum sedes invitabat. Sep-
tem jam annis fere caruerat ille tam populi, avito
jure subjecti, multum desiderantis redditum, ejusque
mitissimum imperium recipere cupientis, conspectu,
quam augustæ sobolis cognitionisque, indulgen-
tissimo parente, socero, avo, amico orbatæ, am-
plexibus. Quamdiu enim infessum a peregrinis co-
piis patrimonium ejus tenebatur, Poloniam suam præ-
fens collustraverat ortum ad felicitatem regni regum
beneficumque fidus, modo remotioribus radiis in
orbam suo moderatore Saxoniam penetrans. Sed
reverti ad patrias provincias gestientem jamque iter
appa-

apparantem morabatur inopinatus malignusque morbus, qui lecto affixum diu tenebattantaque vi senile corpus adurgebat, ut aetum de regis vita videretur. Quid nobis tunc fuerit animi, non lubet recordari. Sed ubi spes humana fere decollasse videbatur, deus, nostris exoratus precibus & cum Saxonico populo jam in gratiam restitutus, præpotenti auxilio erigit prostratum regem eumque, veluti ex faucibus Orci eruptum, iterum valere & revirescere jubet. Nos, sanitate amatissimi regis nunciata, publice gaudemus in omnibus urbis subjectarumque regionum templis supplicationem decernimus & machinarum bellicarum excussione in valli aggeribus terna cæterisque publicæ lœtitiae indicis festum diem agimus.

Ita in integrum restitutus rex, præcisis moris,
redit in Germaniam, ut terras suas reflorescere jubeat,
ut præfens calamitates pristinas, ad summum de-
ductas

duetas discrimen, abstergat, ut consulationem me-
delamque impertiat afflictis fessisque variorum malo-
rum diurnitate, ut augustæ domus, ab qua tamdiu
sejunætus vixerat, denuo fruatur convictu & deside-
ratissima consuetudine. Reversus excipitur omni
acclamationum congratulationumque faustitate, ab
flagrantibus in optimum principem caritate ac fide
Saxonibus: jam quiete regit, ut ante, provincias pa-
trias: jam recepta firmataque regii corporis valetu-
dine, e vicinis thermis redux, comitia provinciæ ce-
lebrat &, ad salutem suorum quæ pertinent, consti-
tuit. Nos quamvis e regno decessione optimi prin-
cipis quodammodo affligebamur, felicissimam tamen
eius in Saxoniam reversionem, quam & ipse tamdiu
habuerat in optatis, & quam tot aliis hominibus
æque salutarem, ac necessariam esse noveramus, non
poteramus plane animo non gaudente audire.

Acce-



Accedebat ad has l^etitiæ causas alia. Ser-
pebant dudum per Potoniæ occulta dissidia, quin
etiam intestinis quibusdam motibus ac prope tu-
multibus regnum iam agitabatur ac turbabatur,
procerum variis studiis multitudine in partes scissa;
resque videbatur in civile bellum eruptura: quod
belli genus omnibus externis funestius calamitosi-
usque esse solet. At paucis ante postremum fata-
lem nuncium diebus certiores fiebamus, indul-
gentissimi regis sapientia, qui absens quoque regni
sui felicitatem quietemque cordi haberet, benefi-
centiaque ac lenitate magis, quam severitate, con-
ciliatos sibi animos sedare nosset, non solum do-
mesticas dissensiones litesque esse compositas, pla-
catisque omnium animis & ad pristinum regis pa-
triæque amorem reductis, omnem tumultuum me-
tum quasi in herba fuisse extinctum, sed etiam cum
finitimis pactiones stipulationesque eas factas, un-

B

de

de perennis pacis, libertatis, quietis spes alluceat.
Liberati magno terrore, gratias pacificatori deo
agebamus, regique pacis firmatori ac salutis pu-
blicæ vindici gratulabamur. Jam ad egregiam
diuturnæ felicitatis spem erecti, vota pro rege
nuncupabamus, ut pacatum ita tranquillatumque
regnum diu tueretur regeretque incolumis, ut se-
nectute placida longævaque vita domi cum suis
frueretur.

Non concessit deus neque illi, nec nobis,
quod precati fueramus, sed illi quidem meliorem
fortem, nobis feralem nuncium; repente optimum
regem a. d. III. Non. Octobr. ipso die festo,
quo in eum quondam collata fuissent reip. suffragia,
Dresdæ vitam cum imperio deposuisse, felici e
terrī transitu ad aeternitatem transcriptum. Id
cum jam a. d. IV. id. Octob. auctoribus non vanis

tra-

traditum comperiremus, ad eum quidem nuncium
expavescebamus, tamen famæ totam urbem per-
vaganti fidem habere pia cum incredulitate recusa-
bamus, sive quod, quæ nolumus fieri, pertina-
cius negamus facta esse, sive quod haud ita pri-
dem, de prosperitate optimaque valetudine regis
confirmationibus literis acceptis, securiores facti
eramus. At paullo post ipsis idibus Varsavia cer-
tiores fiebamus, famam, quam tum maxime cu-
pieramus mendacem, heu nimis vera nobis nun-
ciasse. Sic Deo humanarum rerum arbitro pla-
citum. Sic gaudia nostra principium doloris exti-
terunt. Sic una dies, quamcunque huicdum ha-
bueramus de pace publica, de regis reditu, de
regis incolumitate, de discordiis regni extinctis,
gaudendi occasionem funere acerbissimo polluit.

B 2

Igitur



Igitur civitas tota in luctum convertitur,
vultu ac sermone merorem quisque prodit, omnes
a lacrimis circumfessi apparent, ferae murmur
æris campani perstringit aures, tintinnabulorum
alias lætifica vox flebiles hymnos præit, patres
conscripti vestem mutant, iustitium imperatur,
cunctis hilaritatibus feriæ indicuntur, dies ingratia-
ores eunt & soles obscurius nitent. Quid amise-
rimus, intelligimus omnes: jaeturae magnitudi-
nem animo capimus: quæ nunc fors nos maneat,
ignoramus, solos, desertos, rege & indulgen-
tissimo & munificentissimo privatos: quid metu-
endum sit ab interregno, facili divinatione asse-
quimur, priorum temporum exemplis territi &
præsenti regni statu nonnihil turbati. Vtrumque
malum, cum tollendi ejus non sit potestas, lenire
certe quidem studebimus: alterum quidem cultus
nostrí in defunctum regem pietate; vt vel ita,
dolori

dolori penitus pectoribus infixo paulisper indul-
gentes, desiderium optimi regis virtutum ac me-
ritorum ejus commemoratione consolemur & orbi-
tatis nostræ miseriam levemus, & simul apud fu-
turos reges, quoscunque demum fata dederint,
nos in gratia ponamus, eosque ad civitatem aman-
dam alliciamus, si perspexerint, nos non erga
vivos modo principes nulla venerantium fidelium
que civium officia omittere, sed bonos principes
etiam post mortem, quando non metus imperii
quicquam exprimere amplius valet & adulatio gra-
tiam nullam colligit, colere ac beneficiorum ac-
ceptorum retinere memoriam sempiternam solere.
Alterum illud, quod sollicita futurorum eventuum
cogitatione constat, piorum votorum religione
precumque ardore a nobis depellemus, præpo-
tens dei numen suppliciter obtestati, ut & quie-
tem publicam reip. rectore orbatæ, quamdiu in-


terregnū currit, quamdiu ancipites successorem
exspectamus, fartam tectamque tueri, cuncta-
que diffidia aut prævertere aut extinguere discor-
diæque causas removere velit, & externis quoque
gentibus eos æquitatis, justitiæ, pacis sensus in-
spiret, ne turbare nostram quietem in animum in-
ducant, & præcipue ut reip. optimatum civium-
que nobilium flectat mentes ad novum regem eum-
que dignissimum & AUGUSTI III. simillimum
concordissimis voluntatibus suffragiisque cre-
andum.

Hoc potissimum consilio MAGNIFICUS
HUJUS CIVITATIS SENATUS mihi in
mandatis dedit, ut suæ interpres mentis ac pieta-
tis, & defuncti regis merita in nostram rem publi-
cam, quæ omnino sunt maxima, oratione col-
laudem & pro pacis stabilitate nœisque regis felici
con-

concordique creatione vota faciam, atque indixit
huic officio diei IV . id. novemb. horam X . Dicam
igitur in auditorio Athenæ maximo & decerptam
e cæteris AUGUSTI III. virtutibus, quas om-
nes uno comprehendi sermone nequire perspicuum
est, unam laudabo pacis conservandæ fortunandæ-
que reip. obstinationem. Laudabo autem, quan-
tum & temporis angustiæ & ingenii mediocritas &
amplitudo argumenti patietur. Ad hanc fune-
brem panegyrin complendam & condecorandam
MAGNIFICUM SENATUM, URBIS
PROCERES, omnium ordinum eruditos & si qui
hospites extraria dignatione conspicui concionem
reddere splendidiorem velint, ea, qua par est, re-
verentia invito; simulque amatissimos Athenæ
cives, qui haud ita pridem historiam polonam
totamque reip. polonæ formam ex ore meo excepe-
runt atque e gestis rebus virtutes optimi principis

intelli-

intelligere didicerunt , ut frequentes adesse me-
cumque & colere defunctum regem & pro felici-
tate publica vota nuncupare velint , humanissime
rogo.



P P. dominica XXIII. post Trinit.

A. MDCCLXIII.



AUGUSTI III.

POLONIARUM REGIS ET PRINCIPIS

ELECTORIS SAXONIÆ &c.

LAUDATIO FUNEBRIS,

MAGNIFICI SENATUS

GEDANENSIS

JUSSU

IN AUDITORIO ATHENAEI MAXIMO

DIE X. NOV. A. MDCCCLXIII.

PUBLICE DICTA

A

GOTTLIEB WERNSDORFIO

ELOQV. AC POES. PP.

C

I. N. D.

I. N. D.

*Per illustris burggravie regie,
per magnifici generosissimique consules,
magnifici maximeque strenui
urbis senatores ac syndice,
hospites externa dignatione illustres,
summe reverendi praesules,
juris consultissimi praetores urbani,
experientissimi doctores,
plurimum reverendi sacrorum assistites,
doctrina clarissimi collegae,
nobilissimi, spectatissimi, doctissimi viri;
Domini, patroni,
fautores pro suo quisque ordine
suspiciendi & colendi:
Tu denique in luctus societatem convocata,
generosa & nobilissima
juventutis literatae corona,
in patriae spem succrescens.*

Inter



nter hos pullatos apparatus,
inter hæc funesta publici
luctus indicia, cum animo-
rum vestrorum mœrorem ex demissione
& dejectione vultuum intelligam, num
me facere verba fas erit? Ergone mihi lu-
ctuosissimo hoc officio defungendum
erit, ut vestræ interpres afflictionis, vestræ

C 2

in

in regem pietatis, vestræ lamentationis,
funebrem orationem recitem? Ergo ex
hoc loco, ex hac cathedra, celebrandis
AUGUSTI III lætissimis vicennalibus.
qvondam dicata, nunc tricennalia adeo
infausta resonabunt? Ex hac cathedra, in
qva olim Prussiam, excusso Cruciger-
rum jugo, in fidem clientelamqve sere-
nissimorum Poloniæ regum traditam re-
ceptamqve recolebamus, nunc commu-
nis Poloniæ Prussiæqve calamitas audie-
tur? Circum hanc cathedram, ubi ante
qvinqve annos Musæ lætifico plausu per-
strepebant, qvod se ante duo sæcula in
hoc domicilium suum immissas recorda-
rentur,

rentur, nunc lugubris cantus circum-
strepit, nunc triste silentium & atra cu-
pressus & pullum velamen circumfede-
bit? Ex hac cathedra, ubi ante tres annos
pacis gloriosissimæ in vicinia factæ me-
moriam cum piis votis pro regis vita, pro
regiæ domus incrementis, pro felicitate
temporum regniqve conjungebamus,
nunc conqverendum erit de votis non ex-
auditis, nunc deploranda infelicitas tem-
porum & summa regiæ domus jaætura &
gravissima totius regni afflictio? Ubi non
nisi doctæ voces faustæqve acclamations
olim audiebantur, nunc infausta verba
& tristis lamentatio auscultabitur? Pro

C 3

festa

festa cohortatione ad plausus misera lu-
gendi societas erit indicenda? Plane im-
mutata & nostra fortuna & mea provin-
cia est. Adsvetus prosperis rebus prædi-
candis & sæcularibus ludis faciendis, lu-
ctuosissimam toti sæculo materiam per-
seqvi cogor. AUGUSTUS III, peractis
in qvieta feliciqve regni administratione
triginta fere annis, vitam cum morte
commutavit: pater patriæ clementissimus
nobis ereptus est: totum regnum in luctu
versatur: & qvis ab eodem sibi tempe-
rabit? Communem herum, indulgen-
tissimum principem, placidissimum re-
gem deflemus summi & imi. Lugent
regni

regni proceres, purpurati patres per totum, qvacunqve patet, amplissimum regnum diffusi, nobilitas tota, civium subiectorum omnis turba: nec cives modo, qvos ipse mansuetissimo rexit sceptro, sed exteri quoqve ac remotissimi populi lugent, partim probitatis Ipsius admiratione, partim foederis societate, partim sanguinis affinitatisqve coniunctione moti. Neqve enim vel ultima orbis Hispania immunem se esse volet ab regis sui socero deplorando. In amarissimos questus effunditur Gallia, qvæ, quantum amabilissimam matronam Saxoniam, ad regium solium expectatam, amat ac
vene-

veneratur, tantum patris ejus obitu in-
dolet & uti summa qvondam in eam reve-
rentia faustisqve acclamationibus, sic
nunc publici luctus officio certat. Sici-
lia regis sui avum, Bavaria principis sui
focerum luget. Saxonia infortunium
suum sentit, vix pace post diuturni belli
miserias aliquantis per recreata, protinus
indulgentissimo domino orbata. Qvam
vero ipsius domus regiae, qvam tristem
faciem esse creditis? Qvanta cum con-
sternatione extinctum subito patrem,
avum, focerum, quem ægrotare nescie-
bat, circumpletebitur! Qvam incesti
inter augustæ familiæ principes suspiratus,

hau-

hauriuntur! qvam acerbus planetus audi-
tur! qvam largæ manant lacrimæ!

In tam communi tot gentium tam-
qve justa doloris significatione, num
æqvam nobis mentem retinere liceret?
Anne merito luctus mcerorisqve societa-
tem cum toto regno coimus, qvi non
minorem, qvam alii, habemus dolendi
causam, qvi verum patriæ patrem, indul-
gentissimum regem, optimum principem
amisimus, nec, qvalem posthac habituri
simus, prævidere possumus, adhuc in-
certa exspectatione suspensi. Neqve ta-
men regis adeo amabilis clementisqve

D me-

memoria & nostra in eum pietas nihil a
nobis præter inertes lacrimas aut ambitio-
sum justorum funebrium splendorem po-
stulat. Non acqviscendum in his mœ-
stitiæ publicæ signis est, sinceris iis qui-
dem ac seriis, communibus tamen ac
brevi duraturis. Ad graviora potius ac
menti penitus inhæsura erigendus ani-
mus: a ferali hac pompa traducendi oculi
ad virtutum ac meritorum ejus imagines,
passim in ipsa pacati regni felicitate con-
spicuas: & qvo genere sibi principes viri
maxime parentari gaudent, animi ad ce-
lebrandam memoriam rerum ab ipso præ-
clare actarum aut ordinatarum & benefi-
cio-

ciorum suæ Poloniæ populis præstitorum
excitandi. Ad qvod qvidem munus ex-
solvendum tanto promptiores esse ac vel
cæteris omnibus anteire debemus, qvanto
pluribus & insignioribus regiæ gratiæ spe-
ciminibus condecoratam se nostra civitas
recordatur & prædicat. Igitur jussu man-
datoqve vestro, Patres Conscripti, offi-
cium hoc exseqvar & vestræ interpres pie-
tatis oratione funebri AUGUSTUM III
laudabo. At qvis ego sum? qvæ potest
esse in me laudandi regis facultas, digni
omnino, in qvo optimi oratoris ingenium
& meo uberius solertiusqve exerceatur.
Ego in umbra vitæ privatæ domisedus

D 2

remp.



remp. non attingo: qvæ reges gerant,
ut publica negotia administrentur, qvæ
sint principum in populos voluntates,
parum scio; ignorationis meæ culpa præ-
terire multa potero, qvæ justam laudis
materiam præbeant. Sentio onus, hu-
meris meis injectum, idqve mea mens
versat ac mox appetit, mox refugit. Ap-
petit gloriosam & dignam dici materiam
& qvæ vel imperitissimum adjuvet alle-
vetqve oratorem: refugit rursus, ut ni-
mis arduam, nec æqvam viribus, maxi-
me cum in confessu patrum conscripto-
rum, in cœtu eorum, qvos medullam
eruditionis in literatissima urbe dixeris,
in

in choro tot hominum, laudationis ex-
pectatione suspensorum, verba facienda
sint. Sed ipse vester, Patres Conscripti,
conspectus animum addit, saepius jam
vestrum favorem experto & mandatis
vestris nunc obsecuturo. Vos dabitis
hanc gratiam optimi regis memoriæ, ut
hujus causa vel infacundum feratis orato-
rem & conatibus meis successum aspiretis.
Etiam si enim magnitudinem rei dicendæ
asseQUI nequeam, simplici tamen devota-
que pietatis vestræ expositione pro virili
studebo defungi.

Sed dum in negotium mitto ani-

D 3

mum,

mum, obrui me dicendarum rerum multitudine video, ut qvid deligendum, qvid omittendum sit, fluctuari sententiam necesse sit. Video enim tot formæ decora, qvæ AUGUSTUM illi nobilitent, tot fortunæ munera, qvæ deo carum fuisse persvadeant, tot animi dotes virtutesqve, qvæ amabilem optimumqve principem fuisse doceant. Etenim nihil non ei trivit benigna natura, qvo viro principi majestas & civium admiratio conciliari queat, corporis formam vere imperatoriam ac dignitatem summam: oris humanitatem, frontis majestatem, vocis venustatem, habitum totius corporis decorum

ac

ac gratiosum, ut, cum revererentur
omnes, amarent pariter omnes. Huc
accedebat valetudinis firmitas, vegeta
salubritas & in corporis exercitationibus
mira dexteritas; qvin postea etiam vene-
randa canities & ætas parentem multis
annis supergressa. Qvæ autem fortunæ
dona putantur, ea qvis neget in eo fuisse
summa? Primo enim quid illustrius ge-
nere ejus vetustissimo & excenso, qvod,
etiam si incertiores a Vittecindo origines
seponas, ex ultimis Budzeziæ ac Vettini
Comitibus repetitum supra octingentos
annos per Germaniam clarissimum fuit
& per tot sæcula in amplissimas provincias

impe-

imperium continuavit. Unde & proge-
nitores habuit fortissimos, bellicosissi-
mos, sapientissimos, qvorum armis liber-
tas Germaniæ toties asserta, qvorum stu-
diis & impensis bonæ artes in Germania
reflorescere jussæ, &, qvod maximum,
qvorum præsidio, auxilio, constantia,
periculoqve cœlestis doctrina purior sta-
bilita, defensa, propagata fuit. Sed
qvicqvid de splendore augustissimorum
natalium memorari potest, hoc uno lon-
ge superatur, qvod AUGUSTUM II,
verum sui ævi Martem & Herculem, ha-
buit parentem, cuius regis Poloniæ
nunquam pœnituerit. Neqve tamen rex
noster

noster hoc fortuitæ felicitatis genere, a
majorum & stirpis claritate repetendo,
solum memorabilis est, cum & alias ma-
ximas consecutus sit prosperitates: ma-
trimonium augustissimum ac fœcundissi-
mum, qvo beatus XXXVI annos exegit
concordissime, nulla divulsos querimo-
nia: sobolem numerosam & adultam,
qva plurium provinciarum felicitas in lon-
gam posteritatem fundata est, & ex qva
aliæ gentes petere rectores sibi possint:
filium, qvo herede & successore Saxonia
obitum patris solatur: unum jam nepo-
tem regem: plures ad avita paternaqve
folia expectatos nepotes: fortunatissima

E

trium

trium filiarum matrimonia; ut deus cu-
mulatissima beneficia & ornamenta in
hanc ejus gentem congeffisse videatur.
Vicarius Cæsar is in Germanico imperio
ipse bis fuit, sed oblatam Cæfaream di-
gnitatem magno animo recusavit. Quid
dicam de ingentibus terrarum incremen-
tis, qvæ duorum cognatorum morte
ipsius patriis possessionibus accesserunt,
adeo ut tam amplam omnino ipse regio-
nem haberet, tribus cognatorum fami-
liis jam extinctis, qvantam communis
stirpis conditor Joannes Georgius I, aba-
vus, rexerat. Sunt ista omnino illustria;
longe tamen magis eluent ejus animi
vir-

virtutes, non eæ qvidem fervidiores,
qvibus heroëm informari homines pu-
tant, germanæ tamen ac placidiores,
qvæ bonum virum & principem decent
& subjectorum populorum felicitatem
pariunt. Temperantia & continentia
summa, cuius fructum tandem maxime
eepit in vegetæ viridisqve senectæ salubri-
tate: disciplinæ aulicæ studium, ad tem-
poris puncta res agendas exigens ac mo-
rum honestati decoriqve intentum: sin-
gularis in conjugem auguſtissimam amor
ac fides, tanto magis admirabilis, qvanto
rerior corruptissima hac ætate, qva vio-
lare thori foedera concedendum magnis

E 2

viris

viris putatur ac sacerdolum vocatur: indul-
gentia caritasque in serenissimos liberos
summa: in amicitiis servandis tuendisque
rara constantia ac fides, ut quem semel
cepisset amare, ei totum se daret, ei
unice fideret, ejus benivolentiam reti-
neret sempiternam omniisque cumulatissi-
morum beneficiorum genere declararet
&, qui accusare suspicionesque ferere
vellent, ne audiendos quidem putaret.
Literarum & externarum lingvarum non
modo peritus, sed etiam amantissimus
erat, ut cum eruditos homines, tum
artes honestas liberalesque in pretio ha-
beret, soleretque vacuas horas legendis
libris

libris consumere. Nihil autem majorem admirationem meretur, qvam animus ejus vere magnus & excelsus & ad utrumque fortunæ habitum æqvalis, ut neqve ex lætioribus rebus voluptatem nimiam caperet, neqve ex adversis dolorem, effet- que nec prosperitate elatus neqve afflictis rebus fractus. Non enim expers omnino ejus vita tristium casuum fuit, ut sunt res humanæ. Nam extinctam absens audiuit desideratissimam conjugem, extulit liberos, filiæ reginæ nepotumqve funera flevit, bellorum exitum, non qvalem optasset, vidit, exercitus sui captivitatem ac provinciarum paternarum calamita-

tem expertus senex fuit. In quibus tamen omnibus eundem vultum eandemque frontem retinuit, sua satis felix virtute, nulla mutatus fortuna, five ferales nuncios acciperet, five laureatos, five suorum victorias audiret, five clades. Quid liberalitatem ejus memorem, quid justitiae studium, quid in rebus promissis fidem, in foederibus constantiam?

Hæc cum nimis late pateant, ac plures dies desiderent, arctioribus limitibus orationem circumscribam. Non sistam vobis cunctas immortalis AUGUSTI virtutes contemplandas, sed e maxima

xima earum corona decerptam unam exhibebo, eamque talem, ut, si sola esset, amabilissimum tamen & consummatissimum laudationeqve & nostræ & posteræ ætatis dignissimum principem efficere valeat. Hæc autem qvæ qvalisve sit, facillime per vos intelligere poteritis, Auditores, si ad boni principis officium respiciatis, si, qvo consilio rectores hominum cœtibus præfecerit deus, expendatis &, qva potissimum re populi subjecti fortunentur ac delectentur, consideretis. Est omnino præcipuum boni principis munus, salutem populi habere supremam legem, populum tueri ac servare,

feli-

felicitatem populi amplificare, securitati
eius consulere, eaque omnia suæ fidei
commissa meminisse. Qvi hoc munus
exseqvitur, is divinæ destinationi satis-
facit, is dei beneficentissimi omniumqve
bonorum datoris personam in terris ex-
plet, is populorum desideriis optatisqve
gratificatur. Qvam vero viam ad hujus
muneris expletionem bonus princeps in-
greditur? ecqvo tandem pacto salutem
felicitatemqve civium facillime parat?
Num proferendis regni finibus, num fa-
ciendis provinciis, num bellis ferendis ac
gerendis, num millibus subjectorum e
materno sinu in castra, e castris in aciem

ex

ex acie ad orcum velut in colonias deducendis? Non profecto: ut neque is bonus pater existimandus est, qui thesauros cumulat opesque opibus addit, educatione incolumitateque liberorum interim neglecta. Qva igitur re princeps patris patriæ nomen merebitur? Si publicam pacem ac tranquillitatem conservat; quippe qva sola populi salus continetur, qva terræ nutriuntur ac florent, quam populi poscunt omnes, in qva possessionum, fortunarum, matrimoniorum, vitæ securitas posita est, qva artes & officia & commercia provehuntur augenturque. Huic conservandæ ac præstandæ

F

si

si intentissime studuisse AUGUSTUM
nostrum docuero, si illuc eum omnia
consilia revocasse, si eam vere præstissem
intemeratam, si pacifici nomen prome-
ruisse, clarum fecero, sine dubio opti-
mum principem fuisse ac verum patriæ
patrem demonstravero. Non enim fas
est, vulgi opinionibus principum laudes
metiri aut eos modo in magnorum regum
numero habere, qvi bellicosorum &
victorum appellationem affectant. Nihil
enim generi humano minus salutare est,
qvam bella, nihil magis detestatum odio-
sumque cædibus ac rapinis, nihil artium
commerciorumque incrementis fune-
stius,

stius, nihil ad gloriam nominis compa-
randam incommodius, nihil patre patriæ
indignius. Heroas ac bellatores admira-
mur qvidem forsan, amare vix possimus:
pacificos reges & amamus & veneramur.
Istos postera qvidem forsan ætas magis
admiratur, qvam sua: extera gens istos
admiratur, non sua: pacificos colunt &
amant sui populi & in iis imaginem paci-
ficatoris beneficique dei se intueri putant.
Etenim ingens ista, qvam nonnulli lau-
dant, bellica gloria qvibus factis compa-
ratur? Nonne victoriarum multitudine
ac prosperitate? Victoriæ autem nonne
multorum hominum occisione constant

& tanto putantur gloriosiores, qvanto
largiore sangvinis effusi torrente arva in-
undaverint. Cohorrescit animus, cum
ex summa tot hominum miseria ac cæde
famam nominis audit a qvoqvam captari.
Tot hominum, inqvam; cum unius civis
sangvis multis possessionibus debeat duci
pretiosior, cum ad hominis unius, do-
nec militarem ætatem conseqvatur adul-
tus, alimoniam educationemqve tam diu-
turnus & varius & molestus & sumtuo-
fus labor reqviratur. Id unum si perpen-
derent bellatores, qvantis molestiis, la-
boribus, periculis, impensis unius ho-
minis constet adultior ætas, hominum
pro-

profecto vitam cariorem ducerent, par-
cius bellarent. Perimitur enim, nec
simplici morte, sed atrocissimis vulneri-
bus confectus perimitur ille homo, cuius
causa mater tot molestias devoraverat,
tot labores pertulerat, ut eundem ali-
qvando in mundum immitteret, ut ejus
aspectu aliquando oblectaretur, quem
tanquam cari pignoris onus utero tam-
diu gestaverat, cuius causa graviditatis
longa fastidia novem menses tulerat,
cuius nondum nati salutem solicitissima
cura multaque cautione custodierat: ille
homo, qui nasciturus matrem in sum-
mum vitae discrimen adduxerat, quem

mater sui capit is periculo & tot corporis
cruciatis sustinendis sibi redemerat ac
vindicaverat, qvi denique non nisi præ-
senti dei auxilio, cum opis humanæ vires
parum proficerent, in lucem eductus
fuerat: quem natum tandem mater tam-
diu nutricaverat, foverat, moleste ulnis
gestarat, versaverat, custodierat, susten-
taverat, defenderat, vestierat, ut se eri-
geret in pedes, ut membrorum integri-
tatem conservaret, ut inter mundanos
cives nec fcedum aspectum præberet, nec
vitæ functionibus exeqvendis impar ma-
neret. Tam solcite operoseqve enutri-
tum disciplinæ paternæ commiserat, qvi

pa-

pater omnem spem in eo reponens, ab
eoqve senectutis suæ solamen exspectans,
educationis variam diuturnamqve curam
suscepereat, qvi artes docuerat, magistris
ac pædagogis tradiderat, monitis flexe-
rat ad bonam frugem. Qvæ porro &
qvam varia hominum capitibus immi-
nent pericula, ut plerique moriantur ad-
huc infantes, puerilibus morbis oppressi,
dentientes, male ambulantes, lapsi, præ-
focati; ut taceam petulantiae casus & plu-
rium morborum injurias. Cum tandem
ea omnia pericula effugerunt illæsi, in
officinas, in tabernas, in agros, in scho-
las deducti, parentum impensis, sed pa-
renti-

rentibus nondum útiles, sensim adoles-
cunt. Quid restat? Nempe cum ales-
cendo roborati, tot periculis defuncti,
tot sumtibus enutriti, tot artibus exculti,
tanta parentum molestia educati sero satis
humano generi officia utilitatesqve pro-
mittere videntur, cum patria, cum pa-
rentes, cum cognati tandem de illis bene
sperare incipiunt, cum eorum industria,
manu, arte respublica indiget, tum re-
pente parentibus, officinis, tabernis,
remis, aratri eripiuntur, arma tractare,
præfectis parere, castra seqvi jubentur.
Periit, qvicqvid laboris insumtum edu-
cationi institutioniqve fuerat. Seqvitur
tan-

tandem, ut cum aliis millibus, tan-
qvam piacularis vi*cti*ma ad aram, in prœ-
lium protrahatur cervicemque hostili
gladio præcidendam præbeat immatura
adhuc morti ætas, qvæ vivendo diutius
& industria operaqve sua patriam juvare
potuisset. Ipsum deniqve bellum qvid
non habet inhumanitatis, qvid non sævi-
tiei? Integri exercitus delentur, urbes
exscinduntur, hominum utiqve domi-
cilia, urbes expilantur, opum humana-
rum receptacula, regiones igne & ferro
vastantur, cadaveribus ruinisqve opplen-
tur, silvæ exciduntur, terræ fruges multo
labore partæ conditæqve perduntur, na-

G

vigia

vicia inflammantur, incolæ ad ultimam
mendicitatem rediguntur. Hæc mala,
has miseras, has humani generis pestes
num ullo alio malo superari creditis? At-
qvi e maximis malis humanæ societati illa-
tis vera gloria num acqviri potest? Et qvo
tandem consilio, cui tandem bono tam
ingentia mala cumulantur? Ut salus po-
pulorum firmatior floreat? ut populi red-
dantur opulentiores, feliciores, ab hoste
securiores? Hac de causa si bellaretur,
aliqvid excusationis bella haberent. At
plerumqve omnes victoriæ ad imperium
dilatandum, ad proferendos provincia-
rum limites, ad servitutis jugum pluri-
bus

bus imponendum respiciunt. Ideo plerumqve tot regiones depopulatæ exinanientur, tot exercitus unius parentes libidini occiduntur, tot urbes diripiuntur, ut unus aliquis fortis & hostium victor dici queat, ut armeniacus, dacicus, gothicus, alemannicus, vandalicus proscribatur, ut cum Alexandro Asiæ dominatore, cum Tamerlane & Solimanno comparari possit, ut latissime dominentur, multas gentes lingvis, legibus, moribus diversas una servitute premat, in terris suis occidentem nunquam videat solem. At hæc terrarum amplificatio novorumqve populorum in ditionem ad-

G 2 jectio

jectio num patrio populo ullum comimo-
dum affert? An locupletiores, moratio-
res, cultiores, feliciores fiunt populi an-
tiqvitus imperio parentes? At novarum
terrarum proventus & nova vectigalia
victorem ditant. Sit ita. qvamvis inter-
dum de terris certatur ita sterilibus & in-
fructuosis, ut, nisi tot millium occiso-
rum cruento fœdatæ qvafsi fœcundarentur,
ne incolas qvidem nutrire qveant. Sed
eædem divitiæ aut forsan majores sperari
e vetere possent regno, si solertiœ cole-
retur, sempiterna pace nutririœ, si pro
legionibus, qvæ alio ductæ solitudinem
efficiunt, rusticorum opificumqve colle-
gia

gia instituerentur, incolas plures datura,
si præmiis allicerentur cives ad liberos
tollendos & educandos, si bonis legibus
luxus, cœlibatus, inertia, pigritia cir-
cumscriberetur. His enim rebus populi
salus amplificatur magis, qvam bellis,
victoriis, triumphis. Denique qvid
veræ laudis tandem parari multis victoriis
poterit, qvæ nōn propriæ ducum, sed
communes tot militibus sunt, & in qvi-
bus, ut sapiens qvidam pronunciat, ma-
ximam partem qvasi suo jure fortuna sibi
vendicat &, qvicqvid est prospere ge-
stum, id pæne omne dicit suum. Qvare,
ut hunc locum tandem concludam, non

G 3

belli-

bellicosi & animosi & pugnaces principes post mortem solidam laudem adipiscuntur, sed pacifici potius & veri patriæ patres, qvorum memoria non terret & qvi omni studio in id incumbunt, ut terras suas pacis cultura & diuturna tranquillitate feliciores reddant securitatemque earum tueantur, non appetentes alieni. Qvorsum hæc tam multa? Ut intelligatis, Auditores, si AUGUSTUM III ostendo pacificum fuisse, ei laudem maximam & cæteris omnibus laudibus multo superiorem impertiri eoqve non unum in gentem nostram beneficium, sed seriem aliquam benefiorum ac felicitatum numerari

Omni-

Omnino immortali deo , rerum
humanarum moderatori, benefico, pro-
pitio, pacificatori, gratias, qvas religiosa-
mente complecti valemus , immortales
habeamus, æqvum est, qvi negotia pub-
lica tam sapienter disposuit ac procura-
vit, statum regni & nostri & finitimo-
rum ita ordinavit, animos regis optima-
tumqve ita flexit, ut sub pacifici dei in-
terris pacifico vicario tam stabili diutur-
naqve pace, ut antehac nunquam, per-
frueremur & ut status nostri tranqvillitas
inter tot sæculi nostri injurias, inter tot
undiqvaqve circumstrepentes bellorum
terrores staret inconcussa. Integros fere

is

is ~~XX~~^{XXX} annos regno præfuit & post unius
anni tumultum reliqvis omnibus annis
pacem constantissimam aluit; eoqve ipso
superavit patrem, qvi pacatam qvidem
undiqve reliquit rempublicam moriens,
sed prius viginti annorum continentibus
aut bellis aut turbis domesticis agitatam
ac laceratam. Hic turbatam invenit,
statim tranqvillavit & posthac tranqvilla-
tam sanctissime rexit; ut, si non aliud
præter hoc, cum tamen innumera ejus
sint in remp. merita, contulisset benefi-
cium, æternam optimi principis laudem
mereatur. Namqve cum post AUGU-
STI superioris excessum resp. in partes
effet

effet scissa, qvantopere AUGUSTUS III
Rex electus inauguratusqve pacem civi-
umqve concordiam cuperet, pluribus
declaravit documentis. Etenim omni-
bus, qvi arma contra tulerant, facillime
ignovit, nulli ad suam gratiam redditum
præcludens, non poscens a victis aut pœ-
nam aut ultionem aut aliud infortunium,
sed ut errorem agnoscerent patriæqve
amorem & regis sui obseqvium animo
reciperent, ad se alliciens omnes clemen-
tia, non armorum terrore, præstansqve
se factis & civium amore verum patriæ
patrem. O qvoties & qvam mitibus
edictis cives ad domesticam pacem instau-

H

ran-

randam invitavit! Quid intactum reli-
qvit, ut dissociati animi reconciliarentur
& reip. corpus in concordiam coalesce-
ret? Jam mense Januario A. MDCCXXXV
magnum consilium, ut vocant, Varsa-
viæ celebrabat. Ad qvod cum convo-
caret ordines edicto, pacis studium in-
tente commendabat, seqve suum mili-
tem statim dimissurum, simulac dome-
stica tranquillitas rediisset, promittebat.
Altero edicto universali, ut ajunt, qvo
comitia ad remp. pacandam in Septem-
brem indicebat, denuo pertinaces & a-
se alienos invitabat ad suam gratiam, in
ipsisqve comitiis efficiebat, ut diffiden-
tibus,

tibus, si intra certum tempus ad obse-
qvium rediissent, perpetratorum venia
offerretur. Et qvamvis tum ei potestas
concessa erat, Nobilitatem in expeditio-
evocandi, uti tamen ea potestate noluit,
maxime cum eodem fere tempore pax
Viennensis inter Cæsarem ac Gallos con-
veniret ac regni competitor postulatis
suis sponte desisteret. Potius celebra-
bantur tandem ac finiebantur comitia,
uti dicuntur, pacificationis; qvibus illa-
tas, qvamdiu civile bellum durasset, utrin-
que injurias oblivioni tradendas esse, ne-
minem, qvi in contrariis partibus fuisset,
pœna afficiendum, peregrinas copias

H 2

sta-

statim regno excessuras, quietem securitatemque publicam restitutam esse, publice declaratum. Qvamvis autem dum ante hæc comitia qvies toti regno vere redditam jam fuerat, tamen pacem legis auctoritate confirmatam & ab omnibus acceptam, tum demum fuisse constat.

Atqve ab hoc usqve tempore cœperunt fortunatissima AUGUSTI III sæcula currere; qvibus nec bellum, nec tumultus in regno auditus fuit, qvibus longa qvies, bonorum securitas, judiciorum auctoritas, dignitatum honos, populi

populi libertas & pacis comes rerum
omnium ubertas opulentiaque & felicitas
civium in Polonia habitavit, qvibus cre-
vere urbes domiciliis auctæ, novæ passim
conditæ & incolis freqventatæ, cives
locupletati, officinæ institutæ, commer-
cia amplificata, principum palatia multi-
plicata & exornata, ipsa humanitas cul-
tusqve vitæ latius sparsus. Nunqvam
antea sub ullo rege, qvantum e priscis
fastis reminisci possumus, tam diurna
pax culta, neqve unqvam forsan tam assi-
duo constantiique studio qvæsita fuit:
nunqvam tanta regni ac temporum feli-
citas fuit. Etenim partim ipse rex per

H 3

fe

se nullam belli materiam præbuit, na-
tura pacis amantissimus & qvi neqve ipse
negotium habere, neqve alteri exhibere
cuperet, partim cum finitimiis populis;
qvos nec lædebat, neqve irritabat, per-
petuam coluit amicitiam, acceptasqve
forsan injurias oblivisci maluit qvam ul-
cisci, partim cum civibus imperio ejus
parentibus sic egit, ut omnes amarent
ipsum & amore ejus ab eodem offen-
dendo abstraherentur. Solent Poloni
regem suum cum apum rege conferre,
penes qvem examinis regimen, sed sine
aculeo, sit: sublato enim jure nocendi,
jus bene faciendi solum supereffe. Ta-
lem

lem si qværimus, accommodatiorem Poloniæ rebus nunqvat inveniemus, AUGUSTO III. Hic enim natura beneficus mellita cum indulgentia in omnium animos influebat ac humanitate munificenciaque sua captos tenebat, &, si maximam qvoqve nocendi facultatem habuissest, ea nunqvat voluissest uti. Fuere quidem nonnunqvat tempora, ut est instabilis hominum fortuna, qvibus Poloniæ tranquillitas videbatur vacillare, ut cum Tattari finibus imminerent, & nuper cum optimatum nonnullorum animi dissociati ac fere exacerbati viderentur. Sed regis sapientia & indulgentia etiam

his

his periculis mature obviam itum: Tat-
tarorum postulatis satisfactum: princi-
pum discordiæ amice compositæ: pactio-
nibus scriptis domesticæ tranqvillitati
cautum, ut nec salus nec qvies Poloniæ
turbaretur.

In Germania qvidem rex propter
avitum patrimonium ter implicitus bello
fuit. Qvamvis autem partes suas egregie
firmare magnumqve causæ suæ momen-
tum adjicere potuisset, opibus Poloniæ
in subsidium advocatis, copiarum regni
auxilio sibi adjuncto, semper tamen Saxo-
niæ causam fortunamqve voluit a causa
Polo-

Poloniæ sejunctam, cum parentibus sibi
Saxonibus solus maluit periclitari, qvam,
Polonis in periculi societatem ascitis, diu-
turnam nostram quietem turbare. Et
in istis etiam tribus bellis, qvæ extra reg-
num ipsi gerenda fuere, tanta usus est
moderatione, tantam declaravit pacis
cupiditatem, ut belligerans etiam pacifi-
cus appareret. Primum suscepit, ut
jus suum perseqveretur, qvod ex hære-
ditate Caroli VI sibi deberi putabat, ta-
men ostentans magis, qvam inferens,
arma, ad fas æqvumqve sibi præstandum
alliciens magis qvam cogens hostem, &
Praga capta, statim ad pacem rediens.

I

Al-

Alterum non suo nomine gessit, sed ut tu-
eretur cognatam ac tum fœderatam regi-
nam, qvam iterato bello læsam existima-
bat; eoqve hæreditariæ qvidem suæ terræ
ne magna calamitate afficerentur, pro-
hibere non potuit, ne regnum tamen
eodem discrimine implicaretur, sapienter
cavit. Postremum invitissimus gessit,
atqve ita, ut pacifica ejus indoles culibet
esset perspicua. Etenim sub initium sta-
tim totum onus belli a se rejicere &
omnem illam calamitatem, qvam in Sa-
xoniā posthac vidi cumulatam, redi-
mire potuisset, si interesse eidem bello
& una capere arma, qvod offerebatur,

vo-

voluisset. Qvod qvia iniqyvum censebat,
obsides & urbes in pignus offerre &,
cum ne hæc qvidem conditio acciperetur,
extrema perpeti maluit, qvam pacis fœ-
dera violare & eam gentem bello petere,
ab qva se nullam injuriam accepisse memi-
nisset. Deinde cum ipsius fœderati ad
ejus patrimonium recuperandum veluti
ad commune delendum incendium undi-
qvaqve concurrerent, cum fœderati exer-
citus Poloniam insiderent, cum remp.
polonam partim auctoritate & gratia sua
permovere, partim valentioribus modis
ad causam suam defendendam impellere
posset, tamen privatam causam non fa-

cere communem, paci regni consulere,
si alteros sibi subjectos clade liberare ne-
qviret, Polonos tamen cives a clade,
qvam perpeti forsan potuissent, immu-
nes præstare satius duxit, eoqve ipso uni-
versum terrarum orbem docuit, si ubi-
qve non floreat alma pax, id culpa non
sua accidere. O verum patriæ patrem,
qvi sic amat cives, ut eorum qvieti & in-
columitati suas victorias, suam gloriam,
provinciarum amplitudinem, patrimonii
recuperationem posthabeat. Sed simul
felicem regem, qvi pacis conservandæ
adjutores & consiliarios in regno habuit
plures, maxime Joannem Branizcium,

for-

fortissimum exercitus poloni ducem sa-
pientissimumqve senatus principem, cui
vel eo nomine patria plurimum debet,
æternum tanti beneficij memor futura.
Pacem deniqve fecit ea animi moderatio-
ne, ut qvantopere bellum aversaretur
& qvantopere cuperet parentes sibi cives
onere tot incommodorum expedire,
omnibus abunde patuerit. Vedit igitur
Saxoniam mox æqve pacatam, ac sua
manserat Polonia, & post pacem ibi re-
paratam, qvasi jam omnium votorum
suorum largiter damnatus, ad æternam
reqviem abiit, eo felicissimus, qvod tran-
qvillata omnia reliquit moriens & pacifici

nomen secum abstulit. Hoc enim no-
mine posteris dicendus es, æterne AU-
GUSTE; hoc cognomen instimulet suc-
cessores tuos, ut tuam imitati indolem &
felicitatis nostræ æque studiosi, idem pro-
mereri velint. Tuo funeri coronam civi-
cam imponimus, qvi non unum servasti
civem, sed universam polonam civitatem.
Qvamdiu tam diuturnæ pacis tuo benefi-
cio debitæ fructibus perfruemur, qvam-
diu posteritas libertatis ac felicitatis suæ
sensem habebit, memoria tui regni &
grati animi affectus inter nos perennabit
ac nulla unqvam ætas de tuis laudibus
conticesfcet.

Et,

HON Et, si qvoqvē, qvod nullus timeo,
apud cæteros nobiscum tuo subjectos
sceptro, tuis affectos beneficiis, tua æqve
servatos opera, aliquando intermori &
vetustate intercidere posset grata tuorum
temporum recordatio, apud Gedanen-
sem populum profecto non posset.
Tanta enim ac tam varia tua in nos extant
merita, tot indulgentiæ clementiæqve
tuæ specimina, ut ad singularem tuam
curam nos pertinuisse pateat, ut tuæ mo-
nimenta voluntatis nulla abolere queat
vetustas, ut tuæ indulgentiæ memoriam
post obitum in æternitatem temporum
ire proferriqve necesse sit. Tu enim
opti-

optime AUGUSTE, omni regni tui
cursu tam propitium, tam munificum
animum erga nos constantissime reti-
nuisti, officiorum nostrorum pietate de-
lectatus & devotorum tibi pectorum ca-
ritate, ut urbem non modo servares, sed
etiam pristinam ejus amplificares digni-
tatem, nostra non tantum salva velles,
sed simul augeres, & si qvam gratiam a
nobis rogabaris, si qvid ad commodum
civitatis fieri poterat, concederes libe-
ralissime: si qvid conquerendum erat,
audires non modo querelas patienter,
sed etiam medelam afferres: si cum aliis
impliciti litibus, si affecti injuriis, si
ma-

malevolos aut inimicos experti qvos.
dam eramus, tu nostram tuereris causam,
eos, qvis e a nobis offensos credebant, mi-
tigares, omne periculum a nostris cer-
vicibus depelleres. O qvoties jura no-
stra, tanquam tua, defendisti ! qvo-
ties aliorum gratiam nobis conciliasti !
qvit qvantaqve commoda negotiis com-
merciisqve nostris suppeditasti !

side Fuit qvidem aliquando tempus,
qvo domestica inter nos concordia pro-
strata jacebat , qvo civitatis ordines de
jurium limitibus contendebant. Sed
AUGUSTUS controversias ita compo-

K

ne-

nebat, ut clementiæ summæ documenta extarent ubique. Reddebat enim civitati tranqvillitatem sapientissimis suis monitis ac constitutionibus, qvibus antiqua jura firmabantur illustrabanturqve. Postea accidebat, ut malevoli hominis criminatione apud regem in suspicionem induceremur, qvasi vectigalia ejus majestati debita interverteremus. Et initio qvidem is fidem habere videbatur nefario delatori & versipelli: qvod nobis acerbissimum, nostram integritatem apud justissimum Regem argui; sed simulatqve innocentiam nostram probatam dedimus, evanuit omnis suspicio, & neqvam

ille

ille in mendaciis deprehensus pœnam
luit. O æqvitatem admirabilem atqve
omni laude, prædicatione, literis moni-
mentisqve decorandam!

Sed illud maximum justitiæ & in
nos benevolentia regiæ documentum,
qvod fervente nuper in vicinia atrocissi-
mo bello, & imminente huic urbi magno
discrimine, eandem sua providentia, sua
cura servaverit intactam & incolumem,
ut bellum qvidem geri audiret, sed intra
sua mœnia ex illo incommodum sentiret
nullum. O memorabile ad posteritatis
memoriam justitiæ gratiæqve regiæ

K 2

exem-

exemplum. Te igitur, dive AUGUSTE,
incolumitatis nostræ assertorem venera-
mur: te tutelarem urbis genium lauda-
mus: te jurium immunitatumqve no-
strarum stabilitorem, te urbis servato-
rem appellamus: tibi gratias agimus,
qvas devota mente complecti possumus,
immortales & maximas: tu præsentissi-
mo periculo ereptos præstitisti salvos.
Id omne tuum munus est, qvod incolu-
mes, qvod fortunati, qvod intacti, qvod
illæsi sumus; idqve publice profitemur
ac præ nobis ferimus, maximam gratia-
rum actionem esse rati, beneficii pro-
fessionem accepti.

Tali

Tali igitur rege cum tot annos
fuerimus usi, qvid mirum est, omnium
bonorum fructum, qvemcunqve diu-
turna pax & rectorum reip. providen-
tissima cura parentibus civibus suppedita-
re potest, cumulatissime in nostram
urbem redundasse. Quibus temporibus
aliæ urbes tristissima fata summamqve
miseriam experiebantur, cum hostibus,
cum terrarum inanitate, cum annonæ
maxima caritate, cum fame conflicta-
bantur, qvibus catervatim homines, na-
tali solo relicto, diffugiebant, qvibus
sua cuivis patria odio erat, iisdem tem-
poribus nos secundissimis rebus frueba-

K 3

mur,

mur, eos, qvi melioris fortunæ appetentes, huc se reciperent, colligebamus, nutriebamus, consolabamur. Tum nemo erat, qvi non in nostra urbe, qvam alibi, vivere mallet: nullus hospes, qvi domicilium huc transtulisset, reperiebatur, qvin gratias deo haberet: nullus peregrinus urbem visebat, qvin nostram prædicaret felicitatem & aliorum statum miseraretur. Oculorum enim testimonio AUGUSTEI ævi faustitas subjecta patet. Sunt commerciis ad summum evectis cives locupletati: publicum ærarium ditatum est: incolarum frequentia incredibiliter multiplicata, qvod dudum

BIBLIOT.

dudum e fundorum; maxime domicilio-
rum, pretio cognosci potuit: ædes pri-
vatæ passim in areis e fundamentis exci-
tatæ plures, aliæ laxiores, aliæ splendi-
diores factæ. Felix temporum reparatio
animadvertisit ubique: in qvolibet vico
nova domicilia: per suburbia longiore
tractu jam iter faciendum: plaufra ultro
citroqve commeantia mercium, qvæ
asportantur aut exportantur, abundan-
tiam produnt: navigia majore, qvam
antea, numero compinguntur & in
aqvam deducuntur, aut nos peregrinis
mercibus aut exteris gentes nostris for-
tunatura & in hoc augusto otio per
omnia

omnia maria tutum iter habitura: rheda-
rum carpentorumqve multitudo, vicos
sæpe angustans, divitias freqventiamqve
civium ostendit: officinarum varius con-
fususqve strepitus industriam & copiam
opificum auribus indicat: ipsa deniqve
humilioris populi turba, officinis taber-
nisqve inserviens, bajulans, discurrens,
variis operis exercita, qvæstui intenta,
qvætopere pace nutriatur augeaturqve
incolarum freqventia & qvæ hujus au-
gustei sæculi felicitas sit, sua multitu-
dine perspicuum reddit. Hæc otia deus
nobis fecit: hanc fortunam urbi conci-
liavit deus, sed per AUGUSTUM
adeo

adeo pacificum, adeo indulgentem
conciliavit.

Qvis igitur desiderio sit pudor aut
modus tam cari regis, cuius virtutibus
incolumitatem, securitatem, fortunas,
felicitatem omnem referimus acceptam?
Vixit is naturæ qvidem forsan satis: vixit
gloriæ suæ satis: voto speiqve nostræ
nondum satis. Optavissimus eum im-
mortalem, ut miti mansvetoqve ejus
imperio & benefica ejus liberalitate sem-
per frui potuissimus. At aliter visum
est deo, qvi terris ereptum in æternitatis
sacrario collocavit, sempiterna virtutum

L gloria

gloria coronatum. Vivet tamen in analibus gentium pacatissimi ejus regni laus: vivet omnium sacerdorum memoria ejus in suos cives indulgentia: vigebit in pectoribus nostris cum perenni ejus desiderio gratus & acceptorum beneficiorum memor animus: extincta jam imperii ejus persona, caritas ejus in nostris animis intermorietur nunquam. Colemus eum, suspiciemus, amabimus. Qvotiescunqve aut nomen ejus historiarum monimentis proditum legemus, aut ex latis ab eo civitati legibus concordiam salutemque ad posteros propagatam sentiemus, aut simulacrum imaginis in

augu-

augustissimo dedicatum urbis loco intue-
bimur, aut præsentem urbis splendorem
magnificentiamqve, tanquam clarissi-
mum AUGUSTEI ævi testimonium,
contemplabimur, aut bonis nostris pace
diuturna partis fruemur, toties cum
grati animi sensu optimi principis memo-
riam pie renovatam mentibus nostris &
posteriorum imprimemus.

Aliis populis, boni rectoris morte
offensis, argumenta solatii præbet suc-
cessor ac heres, ad capessendum reip.
gubernaculum statim paratus: alio ex-
emto suis terris ac vitæ principe, filii ne-

L 2

potis-

potisve præsidium adest, ut destitutis
rege suo civibus orbitas aut nulla aut
certe parum diurna exhorrescenda sit.
Nobis ne hoc qvidem consolationis ge-
nere licet uti. Communi patriæ patre
orbati solitudinem miseram ante oculos
videmus: deserti, sine duce, sine pa-
tronō, sine vindice, in luctu & squalore
sedemus. Exspectandus forsan satis diu,
qvi ex his malis nos eripiat & imperio
æque pacifico, æque mansveto nos re-
creet. Interim obversatur oculis &
angit imminentis interregni cogitatio:
qvæ rerum perturbatio, qvæ dissidia,
qvi tumultus interdum excitari soleant,

non

non ignoramus: civilis discordiæ casus
eventusqve pertimescimus. Ad novum
regem creandum, in ista nobilitatis fra-
terna æqvalitate, omnium conspirante
ac pæne conflato consensu opus esse,
novimus: qvem qvam difficulter in tanta
suffragatorum multitudine, in ista stu-
diorum varietate, multorum cupiditate,
exterorum commendatione sperare lice-
at, obscurum est. Sed in hac futuro-
rum metu & solicitudine, qvod maxi-
mum aut unicum potius certæ salutis re-
fugium est, religiosa mente ad deum con-
versi, fortunatum interregni exitum feli-
cemqve & concordem regis creationem
piis precibus exorabimus.

Te

Te igitur, alme deus, rex regum,
regnorum servator, hominum tutor,
suplices adimus, præteritis rebus læti,
de futuris solicii, tua tamen clementia
confisi. Tibi uni omnium bonorum
auctori gratias agimus, qvod sub AU-
GUSTO tot beneficiorum immortalium
copia, tam miti mansvetoqve imperio,
tam diuturna pace, tanta rerum prospe-
ritate beatos & tanqvam peculium tuum
singulariter amatos conservasti. Ignosce
qvæso, si iisdem tuis beneficiis neuti-
qvam pro tua destinatione & voluntate
abusi fuimus, si copiam nostram ad
luxum, ad libidines, ad fastum impen-
dimus.

dimus. Noli graviores pœnas a nobis
expetere, contentus hocce nostro dam-
no, hoc luctu, hoc squalore, qvo no-
stram civitatem, optimo principe nobis
erepto, affecisti. Succurre afflictæ pe-
riclitantiqve reip. polonæ, eamqve nunc
destitutam rege potenter protege, de-
fende, conserva, ab externa omni vi
illæsam, ab internis dissidiorum tumultu-
tuumqve malis immunem. Constringe
optimatum civiumqve animos amabili-
fædere ad concordiam, ad patriæ amo-
rēm, ad pacis conservandæ studium, ut
tranqvillitas publica cum iustitia & æqui-
tate floreat & qvisqve de fortunis, dig-
nita-

nitatibus, religionis professione, vitæ-
que totius incolumente securus, præ-
sentem luctum egregia spe pacatissimo-
rum comitiorum solari possit. Velis
etiam AUGUSTI domum serenissimam
genitosque ex ipsius regio sanguine prin-
cipes, maxima Saxoniæ firmamenta,
tibi habere commendatos, eosque pa-
terno excessu mœstos prosperæ vitæ cur-
su, imperii felicitate ac gloria, suorum
civium veneratione & caritate, pace do-
mi forisque glorioſa & perennanti gau-
diorum materia recreare. Velis quoque
optimatum Poloniæ, penes quos nunc
regimen terrarum est, consilia & insti-
tuta

tuta fortunare , ut , qvæ ad tuendam
regni qvietem concordiamqve sapienter
fuscipliunt , prospere cedant . Præcipue
Prussiam nostram respice , rege suo vi-
duatam , ne qvicqvam de pristina liber-
tate amplius perdat , ne fidei profitendæ
cultusqve divini exercendi potestas mi-
nuatur , ne de juribus immunitatibusqve ,
qvamqvam paucæ restant , detrahatur ,
ut inter ordines constantissima floreat
concordia absqve ulla invidentia , ob-
trectatione , inimicitia . Prussiæ vero
ocellum , civitatem Gedanensem , eni-
xißime tibi commendamus , qvam huc

M

dum

dum clementissime fortunasti. Tuere
porro ejus florem, jura, auctoritatem,
concordiam: complectere paterna cura
urbis patres conscriptos, qvorum nunc
cervicibus civitatis salus innititur, ut eo-
rum sapientissimis consiliis & cætera bo-
na, divino concessa beneficio, maneant
illibata & domestica maxime concordia,
qva nihil magis salutare magisve ne-
cessarium est, intemerata servetur, de-
pulsis profligatisqve omnibus infidiis,
periculis, incommodis. Tandem, be-
nignissime deus, effice, qvæsumus,
qvia hominum cogitationes & consilia

in

in manu habes, ut omnium animi tanta
coalescant concordia, tanto occupen-
tur patriæ, legum, pacis amore, tan-
tam sapientiam, justitiam consultandi-
que facultatem cum pleno libertatis suæ
arbitrio teneant, ut consentientissimis
suffragiis ac voluntatibus unum creent
salutentque regem, qvi tam antiquæ
fortissimæque gentis imperio sit dignissi-
mus, qvi regnum fortitudine, æquiti-
tate, sapientiaque tueatur, qvi cle-
mentiæ indulgentiæque exempla ab
AUGUSTO III, liberalitatis ac mu-
nificentiae ab AUGUSTO II. fortitu-

M 2

dinis

dinis a JOANNE III. justitiæ a STEPHANO, sapientiæ a SIGISMUNDO I. petat, omnesque summorum, qui anteceesserunt, regum virtutes unus complexus desiderium AUGUSTI III leniat.

Dixi.



Vd 2013



VDT 8

M, C



1.638

USTI III.

POLONIARUM
UCIS LITVANIAE
ONIAE HEREDITARI
PERIO GERMANICO
PIS ELECTORIS
CHIMARSCHALLI

ORIAM
S GEDANENSIS
JUSSU
ATIONE

CELEBRAVIT
B WERNSDORFIUS
OQV. ET POES. P. P.
THOMAE JOHANNIS SCHREIBERI,
ET ATHENAEI TYPOGRAPHI.



ll. Pol
ll. 19